



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Theologiæ Moralis**

**Moure, Antonio Fernandes de**

**Coloniæ Agrippinæ**

Brevis Instructio Pro Confessionibvs Excipiendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40934**



B R E V I S

# INSTRUCTIO PRO CONFESSIOIBVS EX- CIPiENDIS.



VAE Confessario præcipuè cognoscenda sunt, ea videntur commodè reuocari posse quinque *CAPITA Primò*, ad Potestatem requisitam. *Secundò*, ad Scientiam. *Tertiò*, ad Prudentiam. *Quartò*, ad Bonitatem. *Quintò*, ad Curam in seruando Sigillo Confessionis.

## C A P V T I.

### *De Potestate necessaria ad Confessiones.*

**P**RIMO ergo quoad potestatem, tria sunt necessaria, ordo sacerdotalis, iurisdictionis, & vsus eius non impeditus. *Primùm* igitur ordo sacerdotalis necessarius est, qui quidem in re est character, quatenus ex Diuina ordinatione per illum quispiam deputatur, vt possit esse Iudex in foro pœnitentiæ.

Duplicem enim potestatem recipit Sacerdos in sua ordinatione, *vnam* in ordine ad consecrandum corpus Christi verum, *aliam* in ordine ad consecrandum corpus Christi mysticum, id est, ad absoluendum fideles.

Hæc autem dicitur potestas clauium; quæ duæ sunt. *Vna* est clavis scientiæ, per quam habet Sacerdos facultatem interrogandi pœnitentem, & cognoscendi causam eius. *Altera* est clavis potestatis, iudicandi scilicet causa

\* cognit. a

cognita, absoluendo, vel ligando. Per hunc ordinem sacerdos fit proximè capax ad recipiendam iurisdictionem sine qua est de fide absolutionem nullam esse. Unde in illa in ordinatione ex vi ordinationis confertur iurisdictionis & omni hac priuari potest Sacerdos.

Habet tamen de facto quivis sacerdos etiam ante probationem ab Episcopo & iurisdictionem ab eo acceptam, potestatem plenam, id est, cum iurisdictione delegata ab Ecclesia (quæ etiam nunc ex tacito consensu summorum Pontificum perdurat, idque ostendit consuetudo & traditio) absoluendi quoscunque in tribus casibus. *Primo* in articulo mortis, vel morali periculo quæ auferatur, nec etiam excommunicato, aut degradato. *Secundo* à venialibus, quæ auferuntur ab denunciato, vel occiso percussore clerici. *Tertio* à mortalibus alias confectis, quæ eodem modo auferuntur à prædictis.

Secundum, quod est necessarium, est Iurisdictionis, id est, auctoritas, quæ unus est alteri superior in foro peccati, quæ habetur per concessionem extrinsecam Ecclesie. Hæc autem duplex est. *Prima* ordinaria, & residet in ipso, qui ex vi alicuius muneris, & officij ad quod assumitur, sunt superiores alijs. *Secunda* delegata, quæ habetur per concessionem ab ordinarijs. Ordinaria autem est prima in Papa à Christo immediate, independens ab humana, & universalis quoad loca omnia, personas, culpas & modum utendi per se, vel per alium: ad quam reducitur potestas, quam habet summus Pœnitentiarius & Legatus à sacro. *Secundo* in Episcopo, Archiepiscopo, Primate, & Patriarcha, quæ dependet à Papa, & est cum restrictione ad locum diocesis, ad quam reducitur potestas, quam habent Generales, & Prouinciales in Religionibus. *Tertio* in Parocho, qui dicitur proprius Sacerdos, ad quem reducitur Vicarius eius perpetuus, Archipresbyter, & Superior immediatus in Religione, vt Rector, Prior, Guardianus, &c.

Delegata vero Potestas tribus modis esse potest. *Primo* à iure, respectu pœnitentium; qui possunt sibi eligere confessarium, & hæc, si sermo sit de iure diuino, est in solo Papa; si de humano, est in Episcopis, & eorum Superioribus, nec non etiam in inferioribus Prælati exempti, qui

qui scilicet non subduntur Episcopis, vt sunt Prouinciales Religionum, & Abbates, & similes iuxta diuersum vsu Religionum. Eadem etiã videtur esse in Parochis, & simplicibus Sacerdotibus; saltẽ consuetudo in multis locis arguit facultatem esse concessã, vt pluribus deducit Suar. *sect. 3. disp. 27. tom. 4. in 3. parti. Secundo* à consuetudine, qualem habent omnes Sacerdotes in tribus casibus supradictis. *Tertio* ab homine per concessionem vel priuatã personã, vel communitati, qualem habent mendicantes & regulares.

Porro ante iurisdictionem, iure nouo, Trid. *sess. 23. cap. 15.* requiritur approbatio ordinarij, quã est vniuersalis respectu etiam Graduati & Doctoris: non comprehendit regulares in ordine ad confessiones audiendas aliorum regularium: hi enim possunt, sine vlla approbatione Episcopi, exponi ad confessiones aliorum regularium sola concessione suorum Superiorum regularium.

Debet autem hæc approbatio fieri ab Episcopo ipsius confessoris, nec est necessaria approbatio Episcopi ipsius poenitentis. Et quidẽ inter seculares approbatus simpliciter à suo ordinario, non eget alia approbatione ad hoc, vt possit eligi ab habente bullam per quam illi conceditur facultas eligendi aliquem ex approbatis, etiamsi talis Sacerdos approbatus sit extra suam dioccesim, modò tamen non mutauit domicilium, tunc enim exigitur etiam approbatio Ordinarij loci, in quo domicilium de nouo habent. At inter regulares, quia hi mutant Ordinarium mutatione loci, ideo requiritur semper noua approbatio Ordinarij illius loci ad quem accedunt. Nostri porrò Patres habent priuilegium in itinere absoluendi quoscunque, modò non sint in loco, vbi est ordinarius; tunc enim eius licentia requiretur. Denique approbatus in vno loco, etiamsi post longum tempus redeat, non eget noua approbatione, modò non sit reuocata prior facultas.

Tertium, quod est necessarium, est vsus non impeditus. Potest autem esse impeditus in vniuersum triplici de causa. *Primo* ob reservationem peccati, quã quando ad esset (secusa necessitate implendi præceptum confessionis, & communicandi in Paschate, vel alia simili, quã

prætermitti non posset sine scandalo, vel infamia præteritis) non debet absolui: si tamen absolueretur, & potestatis esset in bona fide, teneret, modò confessus facta alia non reseruata; maneret autem obligatus ad se potestandum quamprimum superiori, vt absolueretur directè, nam indirectè tantum erat ab ijs absolutus. Ad hanc causam referri potest alia per similes ob excommunicationem reseruata; ea enim impedit vsum, nisi in casu necessitatis vitandi scandalum, vel infamiam propriam.

*Secundò*, potest esse impeditus, ob excommunicationem, vel suspensionem sacerdotis denunciata, per eum enim tollitur vsum validus iurisdictionis: quod si non in denunciatus Sacerdos, quia adhuc toleratur, valet absolutio, nec etiam peccat absolucndo, quando requiritur ab alijs in fauorem ipsorum.

*Tertiò* ob peccatum mortale: quamuis enim absolutio à Sacerdote existente in peccato mortali valeat, tamen peccaret mortaliter, si non habeat contritionem saltem existimatam. Hæc de primo.

---

## CAPVT II.

### De scientia necessaria ad confessionem.

**Q**UOD ad scientiam, ea triplex esse debet, Iudicis, Medici, Doctoris.

#### §. I.

#### De Scientia quatenus est iudex.

**P**RIMÒ ergò, vt iudex, quædam Scientia est ei necessaria ad valorem Sacramenti, quædam ad licitum vsum, ad valorem requiritur, vt sciat formam absolutionis, & distinctionem peccati mortalis à veniali saltem in genere, vt verbi gratia, quòd hoc vel illud sit mortale prout gratia Dei, & faciens reum pœnæ æternæ: non sic veniale, nam si in particulari nesciret in singulis speciebus, vel præ-

præceptis, modò pœnitens illi bona fide confiteretur, nesciens videlicet confessarium esse adeo ignarum, ut nesciat distinctionem peccati mortalis à veniali saltem communi modò, & ordinario, tunc valida esset absolutio secundum probabiliorem sententiam,

Ad licitum autem usum sciēda sunt in particulari quinque. *Primum*, differentia peccati mortalis à veniali non modò in genere, verum etiam in particulari in singulis saltem communi modo, & ordinario. *Secundum*, species peccatorum, numerus & circumstantiæ. *Tertium*, quæ dispositio sit necessaria in pœnitente? *Quartum*, quod peccatum habeat annexam obligationem restitutionis? *Quintum*, quod peccatum habeat annexam reservationem, vel censuram. In cæteris satis est dubitare, & recurrere ad pœnitiores.

Vnde sequitur primò, scientiam regulandam esse iuxta pœnitentes; nam pro rudibus in pagis, & villis minori scientia opus est; pro doctis in ciuitatibus maiori; pro Militibus, Mercatoribus, Ecclesiasticis, Iudicibus, Principibus multò maiori.

Sequitur secundò, scientiam pœnitentis aliquando posse supplere ignorantiam Confessarij: hic enim potest & debet fidem adhibere pœnitenti se aculanti, & excusanti: quare si est homo doctus, poterit iudicio eius instrui.

Sequitur tertio, peccare mortaliter Confessarium, qui caret prædicta scientia. Item Episcopum, qui eum approbat; & Superiorem, qui tribuit ei facultatem confessiones audiendi: denique etiam pœnitentem, qui scienter eligit confessorem ignorantem respectu ipsius.

Verum circa hæc quinque sunt non nulla in particulari circa quodlibet adnotanda.

## ARTICVLVS I.

### De Differentia peccati mortalis à veniali.

QVOD ad primum de differentia peccati mortalis à veniali notanda sunt quatuor. *Primò*, quod sit peccatum mortale ex genere, quod peccatum veniale ex genere. Nam illud est, quod est tale ex obiecto; ab hoc enim

peccatum utpote actus quidam suam speciem & genus desumit. Tale autem obiectum vniuersaliter est, quod sit contra charitatem Dei, vel proximi: in specie, quod sit contra præcepta Dei, Ecclesie, Maiorum, votum conscientiam dictantem mortale, contra virtutes Theologicas, morales nonnullas, ut religionem, iustitiam, temperantiam in delectationibus venereis, & similibus. *Penultimate* autem illud est, quod cum sit quid inordinatum, extra præcepta, cuius obiectum non est contrarium dectiõni Dei, & proximi, ut verbum otiosum, mendacium officiosum, risus superfluous, alia operationes inuoluntate quinque sensuum.

*Notandum secundo*, quænam sint peccata mortalia in particulari in singulis præceptis. Nam in *primo præcepto* peccatum mortale ex genere est, quod veratur circa fidem, spem, charitatem, religionem; siue quoad excessum dando cultum indebitum, ut Iudæi, auferendo debitum, & tribuendo creaturæ per idololatriam, magiam, divinationem, obseruantiam, maleficium; siue quoad defectum committendo sacrilegium circa personas, res, loca sacra. In *secundo* blasphemia, si pertineat ad Deum, periurium, voti fractio, est peccatum mortale ex genere. In *tertio*, omisso sacri in festo vel partis notabilis, ut tertiæ, ieiunij diebus præceptis, confessionis semel in anno, cõmunionis in Paschate, solutionis decimarum, est p. m. ex genere: huc referenda peccata contra censuras. In *quarto*, non succurrere proximo in necessitate corporali per elemosynam, vel spirituali per correctionem, quando adest cognitio moraliter certa de peccato mor. proximi, & est spes emendationis, & oportunitas personæ & temporis, est peccatum mortale ex suo genere. Item deficere in honore debito parentibus, & superioribus, eos asperè tractando; multa tristitia afficiendo, desiderando ijs malum notabile, non succurrendo in necessitate, esset peccatum mortale. In *quinto*, offendere proximum in vita; vel bonis corporis, est mortale ex genere. In *sexto*, offendere eundem in rebus ad honorem spectantibus, est etiam mortale ex genere. Vnde fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, vitium contra naturam cum quatuor suis speciebus, mollitie, inaturalitate, sodomia, bestialitate,

virate; quibus etiam addi potest impudicitia, qua quis vacat tactibus libidinosis absque intentione alterius operis consummati, omnia hæc sunt mortalia ex genere. In septimo, offendere proximum in bonis externis, furto, contractu illicito, ut usurario, vel iniusto, est peccatum mortale ex genere. In octavo, offendere eum verbis, ut mendacio pernicioso, contumacia, detractio, maledictione, susurratio, irrisio est peccatum mortale ex genere. Nonum autem & decimum præceptum reuocatur ad sextum; & septimum. Addi possunt quatuor peccata capitalia non comprehensa in præceptis, ut superbia, gula, ira, inuidia.

Notandum est tertio, pro alijs præceptis duo præcipue esse considerata: primo vim præcepti ex verbis adiunctis: si enim sit præceptum Diuinum, ponderanda sunt verba: nam si significant actionem esse dignam morte, excludere à regno esse execrabilem, & similia; indicant esse peccatum mortale. Secus si verba sint mitiora. Si præceptum sit humanum, tunc considerata sunt verba, an sint præceptiua, an habeant adiunctam pœnam grauem, ut censuram, mortem, amissionem bonorum, exilium. Denique si lex scripta non sit, habenda est ratio consuetudinis, traditionis, consensus Doctorum, luminis naturalis.

Secundo est considerata materia præcepti, an sit necessaria ad charitatem Dei, vel proximi, an lædatur virtus necessaria ad salutem, ut Theologica, religio, iustitia, & similes: an noceat sibi grauius in rebus spiritualibus vel corporalibus.

Notandum quarto, quæ sint ea quæ excusant à mortali: Primo enim est leuitas materiæ, ut patet maximè in furto, contumacia, detractio, motibus sensualitatis, & similibus. Secundo indeliberatio, defectus rationis, inaduertentia, consensus in parte inferiore, id est, rei malæ, ut habet tantum rationem delectabilis, commodi, &c. non in superiore, id est rei malæ, ut cognoscitur esse contra legem Dei, prohibitam, &c. Tertio excusat ab omni peccato ignorantia probabilis, dispensatio iusta præsertim in præceptis humanis, & in nonnullis diuinis affirmatiuis, ut voto, iuramento, &c. Denique necessitas, & rationalis causa, ut in furto, homicidio ex inculcata tutela, obseruantia diei festi, & simili-

simili-



similibus; excipe sextum præceptum; in quo nec sanitas, nec vitæ necessitas excusare potest: excipe etiam cultum Idoli, periurium, & si quæ alia similia sint.

## ARTICVLVS II

De speciebus, numero, & circumstantijs peccatorum.

**Q**UOAD secundum de speciebus, numero, & circumstantijs peccatorum. *Primo* de speciebus tria cognoscenda sunt. *Primum* esse necessario explicandas in Confessione ex Trid. sess. 14. cap. & cant. 7, propter diuersum iudicium, quod causat, ob diuersam curatiõem, & satisfactionem proportionatam, quam requirunt. *Secundum*, per species diuersas intelligi tum peccata contra præcepta, tum contra diuersas virtutes in eodem præcepto, tum eas, quæ pendent ex sine circumstantijs moralibus speciem, vt si quis fureretur ob homicidium, si percutiat Sacerdotem, &c. *Tertium* aliquando circumstantiam facere de veniali mortale, etiam si non mutet speciem, vt futurum in magna quantitate; ideo si quis oblitus esset manifestare talem circumstantiam, vel aliam mutantem speciem, teneretur illam confiteri, & si quidem ea declarari sufficienter potest absque mentione peccati, cui conexa erat, vt quando finis esset circumstantia, satis erit, si minus cogetur etiam consequenter repetere peccatum, vt communiter accidit.

*Secundo*, de numero scienda sunt quinque. *Primum* esse nec sicut explicandũ in Confessione ex Trident. loc. cit. *is verbus*, omnia & singula; omnia enim referuntur ad species, singula ad numerum. *Secundum* hunc modum videri expeditissimum, vt *primo*, si numerus facta morali diligentia constet, dicatur certus. *Secundo*, si non constet dicatur probabilis plus minus. *Tertio*, si neque haberi possit, dicatur consuetudo, tempus, & frequentia in die, hebdomada, mense. In confessionibus meretricis præterea quæratür peccatum contra naturam, cum Religiosis, ob distinctam malitiam, & obligationem restituendi, idem cum filijsfam. quoad restituendi obligationem.

*Tertium*, quod est sciendum de numero, est, quomodo peccata interna multiplicentur numero. Et breuiter dicendum est, multiplicari per interruptionem interposito aliquo tempore regulariter. Et quidem quando sunt circa idem obiectum materiale, vt eandem personam, satis est in ordine ad confessionem, dicere moram temporis, in ea enim confusè explicatur numerus humano modo & possibili: quando autem est circa diuersum, vt circa diuersas personas, etiam hæ numerandæ sunt.

Tripliciter autem interrumpuntur. *Primo*, per contrariam voluntatem. *Secundo*, per voluntariam cessationem ab illo actu, & diuersionem ad alia. *Tertio*, per cessationem inuoluntariam, sed interposita aliqua mora notabili; vt hora; atque ita per somnum, vel naturalem vagationem interrumpitur prior cogitatio, si deinde post horam de nouo ad idem cogitetur.

*Quartum* quod est sciendum, peccata multiplicari eodem modo: quando enim est vnus actus externus continuatus etiam si multi sint interni repetiti, est vnum peccatum, vt si in itinere ad homicidium sæpius voluntas renouetur. Quando item sunt multi externi, vnus post alium, pendentés ab interno, efficiunt vnum peccatum; siue non habeant malitiam ex se; vt cum quis surgit è lecto, parat entem, exit domo, &c. vt occidat: omnes enim illi actus habent malitiam homicidij; siue habeant eiusdem si malitiam, vt in præparatorijs ad actum carnis consummatum: sunt enim partes quædam illius. Idem dic de actibus post actum consummatum (nisi fortè referrentur ex intentione ad alium) quia illi habent se sicut complementa quædam actus consummati.

*Quintum* & vltimum est, in vno actu physico possunt esse multæ morales malitiæ numero distinctæ, vt si vno ictu quis occidat tres, vna blasphemia maledicat duodecim Apostolos, secundum aliquorum opinionem, vna voluntate velit occidere tres. Et quamuis non esset distinctio numerica, tamen est circumstantia notabiliter aggrauans, & explicanda in confessione, vt infra dicitur.

*Tertio*, de circumstantijs duo notanda sunt. *Primum*, esse quadruplices. *Prima* dicuntur impertinentes, vt si die,

vel noctu quis peccauit. *Secunda* minuentes; vt si peccauit inductus, si virgo indigens, & huiusmodi. *Tertia*, aggrauantes notabiliter in eadem specie, vt furtum in magna quantitate. *Quarta*, mutantis speciem, vt circumstantia loci sacri, personæ & similes.

Ex his ergo *prima* debent omitti. *Secunda* possunt. *Tertia* probabiliter explicandæ sunt, tum quia Ecclesia sepe referuat peccatum habens circumstantiam tantum aggrauantem, vt furta & damna certæ quantitatis, teste Nauarro. Ecclesia autem non referuat nisi ea quæ sunt de necessitate confessionis, tum quia si confessarius interroget, vt potest ex officio, tenetur peccator dicere veritatem: interrogatio autem non addit nouam obligationem, sed eam supponit: ergo etiam si non interroget, tenetur. *Quarta* autem omnino aperiendæ sunt.

*Nota Secundo*, has circumstantias esse septem. *Prima* (Q V I S) vt si persona sit sacra, coniugata, publica, habens officium. *Prima* enim pertinet ad Religionem, *Secunda* & *tertia* ad iusticiam. *Secunda* (Q V I D) id est, conditiones materiæ, vt quantitas, qualitas personæ in qua peccatur, vt si esset clericus, coniugata, superior. *Tertia* (V B I) id est, an locus sacer, & publicus. *Quarta* (Q V I B V S A V X I L I I S) vt, an habuerit socios in alio delicto, complicem, eosque induxerit. *Quinta* (C V R) in quo significatur finis extrinsecus, vt si furatus est ob homicidium. *Sexta* (Q V O M O D O) significat accidentia, vt si infamauit mentiendo, an dicendo verum occultum. Huc etiam referenda est intentio, ignorantia, malitia, contemptus, consuetudo. *Septima* (Q V A N D O) id est, duratio extraordinaria: dies festus non est explicandus, nec concursus duorum præceptorum in eandem diem, vt vigiliæ & quatuor temporum, Missæ ob festum, & Dominicam. Quod si essent præcepta diuersarum rationum, vt ieiunij ex præcepto Ecclesiæ, & voto, tunc explicanda essent. Item ieiunij, & feriæ sextæ, in qua quis carnes comederet: sunt enim præcepta diuersarum rationum.

## ARTICVLVS III.

De Dispositione necessaria in pœn-  
tente.

QVoad tertium. Quæ dispositio necessaria sit in pœn-  
nente, hæc explorari potest ex tribus, ex dolore, ex  
proposito, ex integritate confessionis.

*Primo* igitur circa dolorem tria adnotanda sunt. *Primum*, dolorem aliquem esse necessarium, qui saltem sit  
attritio cognita; quia enim non extat præceptum, quod  
debeamus accedere ad hoc Sacramentum absque consci-  
entia peccati mortalis, & Sacramentum habet vim faci-  
endi de attrito contritum, sequitur satis esse attritionem  
etiam cognitam pro dispositione sufficienti ad effectum  
principalem Sacramenti; qui est remissio peccati morta-  
lis, & infusio gratiæ: debet autem esse vera attritio, non  
tantum existimata, ita ut excludat voluntatem peccandi,  
& includat propositum absolutum non peccandi for-  
maliter, vel virtualiter: & præterea supernaturalis, & pro-  
ueniens ex principijs gratiæ, ex aliquo scilicet motivo di-  
vino, & supernaturali, ut docet Tridentinum.

*Secundum*, ipsam accusationem peccatorum seriò fa-  
ctam, præsertim in bene morato, esse sufficiens signum  
doloris: quod si præterea pœnitens dicat se dolere, potest  
ei tutò credere confessarius. *Tertium*, quando non appa-  
reret signum sufficiens, explorandus esset dolor interro-  
gatione aliqua, & ad illum pœnitens impellendus propo-  
sita grauitate peccati ex pœnis inferni, expulsionem Angeli  
è Paradiso cœlesti, Adami ex terrestri, & alijs huiusmodi.  
In pueris & rusticis id solet frequentius euenire.

*Secundo*, circa propositum notanda sunt quinque. *Primum*,  
signum sufficiens pro dolore esse etiam pro propo-  
sito, nisi requireretur particulare propositum ex aliqua resti-  
tutione facienda, vel occasione proxima vitanda. *Secun-  
dum*, vitandas esse comparationes in particulari ad explo-  
randum propositum: satis enim est si Confessarius iudicet  
probabiliter pœnitentem, quando actu confitetur, habere  
propositum non peccandi de cetero, vnde non opus est  
ut sibi persuadeat pœnitentem non amplius peccaturum,

vel

vel saltem per aliquod breue tempus non relapsurū in eadem peccata: quamuis enim hæc euentura putaret, potest eum absolueri, modò cognoscat habere actu propositum non peccandi. *Tertium* quādo adest specialis obligatio restituendi, tunc si commodè potest pœnitens, prima vel secunda vicè satis est quod promittat, nec est virgendus ad realem restitutionem, nisi ex circumstantijs probabile dubium oriretur, restitutionem non esse faciendam: si verò ter, vel quater non impleuisset, adigendus erit ad realem restitutionem ante absolutionem secluso scandalo, vel offensione magna pœnitentis: quamuis si certò constaret ex circumstantijs illum restitutum, posset absolui: quod si non possit, tunc satis est, quod proponat se restitutum, cum ad pinguiorem fortunam venerit. *Quartum*, quando adest specialis obligatio, ex occasione videlicet aliqua proxima, non est absolueudus nisi proponat eam se relicturum; si non reliquerit, faciendum, ut dictum est de restitutione.

Ad hoc autem vt censeatur occasio proxima; duo præcipuè necessaria sunt. *Primum*, vt sit voluntaria, vnde quando moraliter vitari nō posset nō diceretur voluntaria. *Secundum*, vt vel ex suo genere talis sit, quæ frequenter inducat homines similis conditionis ad peccandum, vel vt constet experimento in tali homine habere talem effectum. In particulari si quis haberet domi concubinam, nec quidem prima vice absolueudus esset, nisi ea prius realiter dimissa, regulariter loquendo. *Quintum*, cum reciduis, si semper verè doleant, & firmiter proponant, absolui possunt, multò magis si adhibeant remedia, & ex fragilitate reincidant: item si diminuunt saltē numerum, si aliquoties resistant, si consuetudinem interrumpant, aliquando differri posset absolutio suauiter ad id inducto pœnitente.

*Tertio*, circa integritatē, in ea satisfacere sibi debet Confessarius: id autem ex his poterit consequi. *Primo* ante confessionem agnoscat statum pœnitentis, vt si mercator est, miles, &c. *Deiudo* tempus vltimæ confessionis, & apparatus accedat, Impedimentum autem inimicitia, casus reseruati, excommunicationis non est opus petere: satis erit id agnoscere in progressu confessionis. *Secundo*, si

ex circumstantijs personæ ; & confessionis probabiliter existimet fuisse integram, non tenetur interrogare, multò magis si pœnitens dicat, se nihil habere post diligentem præparationem, si verò putet non esse integram, tunc tenetur eum interrogare de ijs, quæ probabiliter cadere possunt in pœnitentem : non sit autem nimius in sexto præcepto præsertim cum pueris & fœminis, *Tertio*, quando aduertit confessionem non esse integram etiam materialiter, tenetur efficere vt integra sit ratione officij: quando autem non est integra formaliter, si quidem via secreta id nouit post prudentem interrogationem, tenetur iudicare secundum acta & probata in illo foro: si autem publica via, potest ea apertè vti: quod si neget, & euidentibus illum mentiri contra integritatem confessionis, non debet illum absoluerè: si non sit euidentibus, potest absolvere, & credere ab eo negari quia non tenetur illud confiteri, quia scilicet antea id confessus sit.

## ARTICVLVS IV.

*De peccatis quæ habent adnexam obligationem restituendi.*

**Q**UOD quartum, quæ scilicet peccata habeant adnexam obligationem restituendi. Dico vt plurimum esse illa, quæ sunt contra iustitiam commutatiuam, inter quæ communiora sunt tria. *Primum*, est iniustitia circa bona externa per furtum. *Secundum*, iniustitia circa bona corporis, vt vitam & membra per homicidium, vel mutilationem. *Tertium*, circa bonû famæ per detractionem.

Primò ergo circa restitutionem bonorum externorum quatuor præcipuè cognoscenda sunt. Quis debeat restituere? Quid? Cui? & Quando?

*Primum* ( *QVIS* ) id est persona, quæ multiplex est. Prima damnificans, vt fur, homicida, detractor; in quo debet esse culpa ad hoc, vt teneatur ad damnum secutum ex proprio facto: item moralis, eaque oriri ex dolo, vel culpa lata. Reliquæ personæ sunt nouem, & dicuntur cooperantes comprehensæ ijs versibus:

*Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*

*Participans, mutus, non obstant, non manifestans.*

Ex

Ex quibus primi sex dicuntur cooperatores directi, & positivi, reliqui indirecti, & negativi. Circa quos.

*Nota primo*, cooperatores quoscunque satis esse si sint causa, cum quibus, & per quas fit damnum, etiamsi non sint causa sine quibus non damnum fuisset illatum. Item omnes teneri insolitum, quando sunt causa efficax totius damni: hoc est ad totum damnum securum. Principaliter autem si quidem actio sit lucratiua, tenetur ille qui habet rem alienam; si verò tantum est illatiua damni, vt homicidium, &c. tunc primo loco tenetur mandans, postea executor, deinde cōsultor, & ceteri suo ordine in defectum principalis.

*Nota Secundo*, cooperatores positivi teneri, quando sunt causa efficax damni secuti, & mandans quidem siue expressè siue tacite, tenetur, nisi reuocet mandatū ante executionē, vt innotescat talis reuocatio mandatario; non sic tenetur is, qui ratum habet delictum suo nomine, factum. Cōsules etiam tenetur, nisi remoueat voluntatē eius qui cōsiliū petijt, vel curet quantum potest, ne sequatur damnum, admonēdo tertium de periculo: si cōsiliū datum sit ex ignorantia, debet esse culpabilis mortaliter ad hoc, vt ex illa teneatur. Cōsentiens debet esse talis, vt ab eo pendeat damnum, siue antequam detur, siue in ipso actu illud inferendi. Deniq; receptor debet esse talis, vt ex eo alius animetur, saltem ad damna inferenda: si id fit, etiamsi sit consanguineus, vel amicus, tenetur.

*Not. Tertio*, cooperatores negativi teneri, quando possunt impedire, & non faciunt, cum tamen ad id teneantur ex officio: vt quia sunt cōsultores, superiores, custodes &c. similes. Debet autem negligentia, ex qua id omittunt, esse grauis, ad hoc, vt ex ea teneantur restituere.

*Secundum*, quod cognoscendum est: est quid restituendum sit. Pro qua re primò sciendē sunt quatuor radices remotæ restitutionis: eæ sunt. *Primo* vel ex cōtractu, vt mutuo, vendito, locato: vel ex quasi cōtractu, vt negotijs, gestis, tutoria officio publico: hi enim etiam obligantur, ac si fuisset pactum inter eos. Vel ex delicto, vt furto, homicidio, & vel ex quasi delicto, vt cum quis læditur non dolo, sed ex imprudentia, negligentia, ignorantia culpabili.

*Secundo*, tres aliæ radices magis proximæ. *Prima* ex iniusta

Iusta acceptione tantum, ex qua oritur illa regula: Quicūque est causa iniustæ acceptiōnis, vt furti, vsuræ, homicidij, infamix, &c. tenetur insolidum ad restitutionem. *Secunda*, ex re accepta tantum, ex qua oritur hæc regula: Quicūque habet rem alienam, tenetur eam restituere: & si quidem habeat mala fide, tenebitur ex utroque: illa enim re-tentio dicitur iniusta quædã acceptio: si verò bona fide, tunc si habet illam in se ipsa, tenetur reddere, si non, tenetur ad id, in quo esset factus ex illa ditior, vt in maiori pretio, quod accepisset ex eius alienatione, vel in rebus proprijs: quas non consumpsit: alio qui ceñt nuptus, si rem alienam non habuisset. *Tertia radix* est ex utraque, id est, ex re accepta, & ex iniusta acceptione, ex qua oritur tertia regula: Quicūque est causa iniustæ acceptiōnis, & retinet rem alienam, tenetur ad reddendam rem, fructus eius tum naturales, tum industriales mixtos, & damna secuta.

*Tertio* cognoscenda est differentia inter primam, & secundam radicem, quæ triplex est. *Prima*, Qui tenetur ex re accepta tantum, si ea casu perit, vel sine culpa eius, qui retinet, ad nihil tenetur: qui verò ex iniusta acceptione, tenetur. *Secunda*, Qui ex re accepta, tenetur tantum ad fructus extantes vel in se, vel in alio, quatenus est ditior ex illis: qui verò ex iniusta acceptione, etiam ad fructus perceptos, & qui percipi potuissent. *Tertia*, Qui ex iniusta acceptione, tenetur ad damna secuta, & lucra quæ cessarunt damnificato, non ita qui ex re accepta.

*Tertium*, est persona, cui facienda est restitutio. De quo Dicendum est primò. Si Dominus est certus & notus, illi facienda est restitutio, vel hæredibus eius. *Secundo*, si certus est, sed ignotus, tunc fiat diligens inquisitio: ea facta si non reperiatur, data est pauperibus, sub quibus veniunt omnes indigentes, loca pia, consanguinei pauperes: ipsamet etiam debitor si pauper sit. *Tertio*, si dominus sit incertus, si quidem id sit, quia ex tribus vel quatuor ignoratur verus Dominus, tunc res restituenda de consensu ipsorum, vel sorte cui obtigerit: si quia est cõmunitas aliqua, vel aliqui ex ciuitate, vt contingit in ijs, qui fraudant in pòdere, vel mensura, vel pretio, tunc tantum augendũ erit pondus, vel mensura, quantum est diminutum; si denique sit incerta persona particularis, tunc post diligentiam sufficientem si non reperiatur, data est pauperibus.



Quartò, bona incerta possunt esse tribus modis.

*Primo*, quia nullum habent dominum, vt gemmæ, lapilli in littore maris, feræ, &c. huiusmodi. Et hæc sunt primò occupantis, nec restituenda sunt.

*Secundò*, quia probabiliter non habent de præsentibus thesaurus; & tunc si arte magica inuentus sit, debetur scilicet, vel Principi, si lex faciat inhabilem inuentorem; si minus, non debetur nisi post sententiam: si verò sit inuentus bonis artibus, tunc si locus in quo reperitus est, sit inuentoris, totus est ipsius iure communi; si alterius, dimidium domini loci, & dimidium inuentoris, modò casu inuentus sit: nam si ex industria, & cum licentia domini, totus est inuentoris; si sine licentia, totus domini, saltem post sententiam: nam antea potest in conscientia retinere.

*Tertio*, quia sunt amissa, quamuis habeant dominum probabiliter, & tunc si facta diligentia dominus non inueniatur, communior opinio est, quod sint danda pauperibus: probabilis tamen etiam est, posse retineri ab inuentore.

*Dicendum est quinto*. Turpiter accepta, id est, profaciendo actu turpi, vt meretricio, homicidio, sententia iniusta, &c. si actus non fiat, reddenda sunt danti in conscientia; si factus sit, retineri possunt. Accepta per ludum etiam aliàs lege humana prohibitum, modò absint fraus & dolus, quæ sint contra leges ludi, & abtque notabilis inæqualitate, & cum persona habili, non sunt restituenda in conscientia; nec etiam quæ pecunia credita, si victus vtatur beneficio legis, tunc essent restituenda: denique accepta per simoniam realem, item per data & promissa pro gratia, vel iustitia obtinenda apud sedem Apostolicam restituenda sunt Ecclesiæ, vel pauperibus.

*Quartum est*, quando sit facienda restitutio, & *Dicendum* *Primo*, quoad animi præparationem, statim faciendam esse: quoad realem, quamprimum commodè fieri potest. *Secundo*, si ter vel quater quis promisit restituere, & non restituit, dic vt supra cum de proposito *Tertio*, non est restituendum cum damno bonorum altioris ordinis, vt vitæ, famæ, sanitatis; nec etiam cum graui damno bonorum eiusdem ordinis modò ex hoc nõ sequatur æquale damnum.

damnum in creditore, tunc enim præponendus esset creditor. *Quartò*, neque cum iactura status, quando est iuste acquisitus, quamvis bene cum diminutione citra notam paupertatis.

*Secundò* principaliter circa restitutionem bonorum corporis: Hæc triplicia sunt, vita, integritas corporis, & integritas claustrii, quæ violantur per homicidium, mutilationem, & stuprum. *Primò* ergo homicida ad duo tantum tenetur. *Primum*, ad expensas factas in curatione vulneris ante mortem. *Secundum*, ad damnum temporale vitæ, quantum æstimabitur spes illa utilitatis & lucri quæ allaturus erat, deductis ijs, quæ ipse consumpsisset in victu, & vestitu. *Æstimatio* autem debet fieri arbitrio boni viri, & hæredes, quibus facièda est restitutio, debent esse ij, qui censeantur vna persona cum defuncto, vt parentes, filij, & vxor occisi: quare fratribus, creditoribus, & alijs nõ tenetur. Ad damnum autem naturale vitæ non tenetur occisor, quando occisus est homo liber, sed tantum ad petitionem veniæ; si autem sit seruus, tenetur domino quantum vita serui æstimabitur. Deinde excusatur à restitutione, quando occisus remittit debitum, quando erat aliàs iuste occidendus, vt per iustitiam, quando prouocasset ad duellum, quando fuisset aggressor, & aggressus non excessit fines inculpatae tutelæ notabiliter.

*Secundò*, mutilator, vel alius percutiens iniuste, ad tria tenetur. *Primò*, ad expensas in curatione vulneris. *Secundò*, ad æstimationem spei illius lucri, quod facere poterat, deductis expensis. *Tertiò*, ad æstimationem damni, quod ex hoc secutum fuisset. Pro deformitate autem cicatricis relicte non tenetur, si mutilatus fuit liber homo; si seruus, tenebitur vt supra.

*Tertiò*, stuprator, si virgo liberè consentit, ad nihil tenetur secundum probabilem sententiam, securius tamen est Confessarium semper aliquid imponere in satisfactionem. Si vi, fraude, fallacijs inducta, tenetur, *primò* ad cõiugium; si promisit. *Secundò*, ad reparationem damni ex stupro, quantum æstimabitur arbitrio boni viri. *Tertiò*, ad dotem, si iudex ad id eum condemnarit. Pro sola autem iniuria ipsi virgini illata satis est petere veniam.

*Quartò*, adulter (hic enim affinis est stupratori) pro iniuria

\* \*

iniuria

iniuria illata marito ad nihil tenetur, nisi ad petitionem  
 nia. si maritus adulterium resciat. Quod si partus etiam  
 sequatur, & adulter certò putet prole esse suam, *Primo*, te-  
 netur ad alimenta à tertio anno, donec sibi providere pos-  
 sit de alimentis. Adultera autem tenetur à partu usque ad  
 tertium annum completum. *Secundo*, ad restitutionem ha-  
 reditatis, quam illegitimus accipit cū alijs filijs legitimis  
 quod si habeat probabiles rationes dubitandi, quod prole  
 sit sua, ad nihil tenebitur. Simili modo adultera etiam  
 non teneatur manifestare delictum marito, aut proli, nisi  
 moraliter certa esset auferendi damnum ab alijs filijs, &  
 quod nullum sibi periculum vitæ, vel infamiae sequeretur;  
 obligatur tamen ad curandum quantum potest, ut legiti-  
 mi hæredes non patiantur damnum, dando illis bona pa-  
 raphernalia, si quæ habeat, relinquendo illis luera ex suo  
 labore, & industria inducendo illegitimum ad religionem  
 si aptus sit. Præter hæc ad nihil tenetur.

*Tertio*, principaliter circa restitutionem famæ quatuor  
 præcipuè scienda sunt. *Primum*, famam dupliciter lædi,  
 imponendo alteri crimen falsum, & manifestandum verum  
 occultum contra ordinem iuris, vel fraternæ correctionis.  
 Id autem fieri potest primò directè, & ex intentione, quæ est  
 detractio formalis. *Secundo*, in directè, ex negligentia, &  
 loquacitate, quæ est detractio materialis.

*Secundum*, ad restitutionem requiri, *Primo*, ut materia sit  
 grauis regulariter. *Secundo*, ut defectus sit moralis; naturalis  
 non inducit obligationem, nisi in casu, quo existimaretur  
 ob id persona, de qua refertur; contemnenda ab auditori-  
 bus. *Tertio*, ut sit talis qui iudicetur notabiliter lædere fa-  
 mam. *Quarto*, ut sint peccata specialia regulariter. *Quin-  
 to*, ut fama verè sit ablata, & non restituta alia via. *Sexto*, ut  
 non sequatur ex restitutione maius malum, detractori, ut  
 periculum vitæ, vel maius damnum in fama propria aut  
 aliena.

*Tertium*, qui refert peccata alterius audita absque asse-  
 ratione, vel detrahit materialiter, regulariter non tene-  
 tur; nisi in casu, quo referrentur ea ratione, ut merito au-  
 dientes inducantur ad sentiendum malè de proximo. Qui  
 verò audit, si teneatur ex officio impedire, vel excitet, aut  
 animet alium ad detrahendum, obligatur ad restitutionem.

Sens

Secus, non tenetur, etsi peccare possit complacendo sibi deliberatè de detractioe ob prauum affectū erga eum, de quo detrahitur. *Quartum*, qui infamauit dicendo falsū, tenetur dicere se falsum dixisse; qui verò manifestando verum occultum, laudet, & honorificè loquatur de eodē in ijs quibus detraxit.

## ARTICVLVS V.

*De peccatis, qua habent adnexam reseruati-  
onem vel censuram.*

**Q**UOAD quintum, quæ scilicet peccata habeant adnexam reseruatiōem, vel censuram; *Primo* scienda sunt aliqua circa reseruatiōem peccatorum. Ea autem sunt *primū* peccata venialia non posse ita reseruari, vt maneat obligatio ea confitendi; possent tamen ita, vt non possint sacramentaliter remitti, nisi a tali, vel tali ministro; sed tūc inutilis esset talis reseruatio, cum sine culpa omitti possint à penitente.

*Secundum*, peccata mortalia merè interna, etiam si possint reseruari ab Ecclesia, non tamē esse in vsu; externa verò & possunt & sunt in vsu; nō quod omnia id enim nō esset expediens; sed aliqua grauiora: quod etiā verum est respectu Religiosorū, vt colligi potest ex decreto Clemētis VIII. præferentis casus reseruatos pro Religiosis.

*Tertium*, reseruari posse peccata, etiā si non habeant excommunicationem adnexam, quod in reseruatis ab Episcopis vsu constat. Item in reseruatis multis à Prælati Religio-  
num. A summis autem Pontificibus regulariter non reseruantur peccata sine censura. Et quidem Episcopis iure cōmuni, quāuis nonnulli casus videantur reseruati, vt *Primo* peccata, quæ habent adnexam penitentiam publicam, vel excommunicationem maiorem, vel irregularitatē. *Secundo*, incendiarius. *Tertio*, publica blasphemia. *Quarto*, homicidij voluntarij, falsarij, violatores Ecclesiasticę immunitatis, & sortilegi. Attamen verius est nullos esse reseruatos seclusa consuetudine, ex qua, quoniam sint reseruati, pendet ex locorum peculiarium cognitione.

*Quartum*, in articulo mortis quemlibet sacerdotē posse absoluere quibuscunque reseruatis per propriam iurisdictionem illi tributam; & si quidem non habeant censuram adnexam, non remanet obligatio in absoluto com-

parendi coram superiori legitimo: si verò habeant adiunctam censuram, remanet onus ad comparandum coram superiore. Extra articulum talem nullus inferior potest absoluerè directè à reseruatis.

*Quintum*, quoad modum absoluendi, quando superior audit tam reseruata, tenetur absoluerè ab omnibus: sine causa graui non potest audire tantum reseruatis ab illis absoluerè, remittendo pro alijs ad inferiorem, quia non debet dimidiari confessio sine causa, cum integritas sit de iure Diuino. Quoties autem id licitè fit ex tali confessione, perficitur verum sacramentum: est enim talis confessio semper integra formaliter: alia quæ fit inferiori de non reseruatis, est omnino integra, cum reseruata tam sint directè absoluta, atque adeo non sint iterum subiicienda clauibus; quamuis alij dicant esse subiicienda, vt non fiat integrè de omnibus. Quando verò inferior audit pœnitentem habentem reseruata, sine causa necessaria non potest, neque à non reseruatis absoluerè, vt dictum est supra, cum de potestate, cum tali causa potest. Debet autem tunc omnia audire, etiam reseruata, cum circa omnia debeat pœnitens esse benè dispositus, eamque dispositionem examinare pertineat ad confessionem. Hæc circa reseruationem.

*Secundo*, scienda sunt aliqua de censuris.

Et quoad censuras in communi. *Primo*, sciendum est, censuram esse pœnam Ecclesiasticam spiritualem fori cœtentiosi, qua spiritualium vsus interdicitur, vt à contumacia discedatur. Eius ferendæ potestas est à Christo, institutio autem ab homine Ecclesiastico, qui si ferat illam per constitutionem modo quodam permanente, dicitur talis censura à iure; si per sententiã & modo quodã transitorio, dicitur ab homine. *Secundo*, non incurritur nisi ob peccatum mortale, adiuncta contumacia, id est inobedientia contra Ecclesiam, suspensioni tamen aliquando etiam potest esse satis culpa venialis, quãdo fertur ab homine generaliter.

*Tertio*, excusat ab ea ignorantia probabilis, vel ipsius censuræ, vel quod talis actio, cui adiuncta est censura, sit peccatum, vel quod prohibita sit ab Ecclesia sub tali censura. Sic etiam impotentia faciendi id quod præcipitur per censuram, vt soluendi debitum excusat. Quo-

Quoad excommunicationem maiorem. *Primò*, sciendum est, decem esse ipsius effectus. *Primo* enim priuat excommunicatum suffragijs communibus Ecclesie. *Secundò*, communicatione passiuua Sacramentorum, quamuis per se, & vi sua non efficiat illa nulla. *Tertiò*, administratione actiuua Sacramentorum, quamuis non annullat, nisi illud tantum, quod requirit iurisdictionem ad suum valorem. *Quartò*, vsu ordinum ex officio, vt prius. *Quintò*, Ecclesiastica sepultura. *Sexto*, reddit personam incapacem, & ineligibilem ad beneficium Ecclesiasticum. *Septimo*, impedit acquisitionem dominij fructuum Ecclesiasticorum, eorumque administrationem. *Octauo*, priuat vsu iurisdictionis, tollendo iurisdictionem actualem tam in foro poenitentiae, quam contentioso; tam Ecclesiastico, quam ex probabilitate sententia, in seculari. *Nono*, excludit ab omnibus actibus forensibus sola sui defensione excepta, Vnde nec actor, nec testis, nec aduocatus, aut procurator esse potest; tenetur enim se abstinere ab his omnibus muneribus, & repelli potest, & debet, etiam si vitandus sit: quod si non repellatur, acta eius irrita non sunt. *Decimo*, prohibetur illi omnis communicatio ciuili. Vnde nec contractus celebrare, nec testamenta condere, nec vri publico officio aut ministerio potest, licet non sint inualida omnia, quae ab eo aguntur, nisi iurisdictionem requirant, & vitandus sit. Ad hunc etiam inducitur priuatio omnis communicationis politicae, & humanae, cum alijs fidelibus colloquendi, salutandi, &c.

Possunt autem hi omnes effectus reduci ad tres: ad priuationem communicationis in rebus spiritualibus, vt officijs diuinis, Sacramentis, &c. ad priuationem communicationis in rebus mixtis ex spiritualibus, & temporalibus, vt collationem beneficiorum, receptionem, &c. ad priuationem communicationis in rebus temporalibus, & ciuilibus, vt agere in iudicio, & vri humano conuictu, & consortio.

*Secundo, sciendum est*, solum excommunicatum non toleratum vitandum esse, qualis est, vel denunciatus nominatim, vel notorius percussor Clerici: occultus autem non est vitandus à non excommunicatis, quamuis ipse teneatur alios vitare, & non se ingerere in aliorum conuersationem:

tionem: quando autem requiritur à non excommunicatis, potest cum illis agere sine vilo peccato.

*Tertio*, sciendum est, excommunicatum vitandum esse in quinque casibus, contentis eo Verbu:

*Os, orare, vale, communio mensa negatur.*

Ex quinque autem alijs causis posse cum illo agi sine vilo peccato, quæ etiam continentur eo versu:

*Vtile, lex, humile, res ignota, necesse.*

*Quarto*, tunc peccare mortaliter excommunicatum, quando facit prohibita per excommunicationem, communicando cum alijs in rebus spiritualibus, vel mixtis, quæ sunt illi peculiariter prohibita. Quod si communicaret tantum in rebus civilibus, non peccaret mortaliter. Ita etiam qui communicant cum ipso in primis duobus, nisi excusentur aliqua ex dictis causis, peccant mortaliter; qui tantum in tertio, peccant tantum venialiter, semper tamen incurrunt excommunicationem minorem.

*Quoad* excommunicationem minorem, tria scienda sunt. *Primum*, eius effectus duos esse. Vnum priuare vsu Sacramentorum passiuo, alterum efficere inhabilem ad electionem passiuam, ita tantum, vt irritanda sit electio, non sit autem irrita ipso iure. *Secundum*, incurrunt tantum in vno casu, nempe in participatione cum denunciato, vel notorio percussore Clerici in tribus communicationibus dictis. *Tertium*, ab ea posse absolueri omnem sacerdotem habentem iurisdictionem.

*Quoad* suspensionem, tria etiam scienda sunt. *Primum*, eam conuenire tantum Clericis, non autem Laicis. *Secundum*, esse duplicem, ab officio siue ordinis, siue iurisdictionis, siue administrationis, & à beneficio, id est, à iure percipiendi fructus ex beneficio. *Tertium*, suspensum non facere fructus in conscientia, ideoque teneri ad illos restituendos detractis necessarijs ad sustentationem, nisi aliunde possit viuere: sic etiam si per ipsum non sterit, quom nus absolueretur, facit fructus in conscientia.

*Quoad* interdictum tria etiam cognoscenda sunt. *Primum*, illud priuare vsu diuinorum actiuo & passiuo, id est officijs diuinis, Sacramentis, & Sepultura Ecclesiastica. *Secundum*, esse quadruplex, locale, personale, generale, & specia-

speciale. *Tertium*, quando est generale, conferri possunt tria Sacramēta, Baptismus, Pœnitētia, & Eucharistia, saltem in articulo mortis: recipi autem possunt etiam ab interdictis, modò non sint specialiter interdicti, vel causam dediderint interdictioni. Sic etiam officia diuina celebrari possunt in Ecclesia, ianuis clausis, voce submissa, non pulsatis campanis, & excommunicatis, vel interdictis specialiter exclusis.

Quoad irregularitatem, sciendum est *Primo*, eam non impedire receptionem Sacramentorum præterquam Ordinis: si quis hunc reciperet, peccaret mortaliter, sicut etiã si ministraret, in suscepto. *Secundo*, duplex est, quædam ex defectu, quædam ex delicto. Illa sine vilo peccato incurri potest; hæc verò præsupponit peccatum, & quidem mortale. *Tertio*, utraq; reddit inhabilem ad beneficia de nouo acquirenda, ita vt collatio nulla sit, receptis autem non priuat nisi per sententiam.

*Tertio*, scienda sunt aliqua circa absolutionem à censuris. *Primum*, absolutionem, quæ conceditur in foro pœnitentiæ per priuilegia mendicantibus concessa, & alia similia, nõ requirere alias ceremonias præter eas, quas sufficiunt ad Sacramentum pœnitentiæ. Forma autem illa, quæ præscribitur in *c. ex tenore*, & *c. de cetero de sent. excom.* seruanda etiam est in occulta absolutione, quantum ad ea, quæ cõmodè fieri possunt, vt est promissio parendi mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendi, si satisfaciendum sit. *Secundum*, quãdo absoluendi facultas cõceditur alicui sub limitatione satisfacta parte, si is, qui absoluedus est, potest satisfacere, debet præmitti satisfactio; si verò nõ potest, sufficit cautio præstita, & propositũ satisfaciendi: q̄ si Sacerdos absoluat ante satisfactionẽ, cũ possit pœnitens eã facere, absolutio erit irrita. Quando deniq; excommunicatio nullã satisfactionem partis læsę requirat, potest tolli absq; vlla satisfactione. *Tertium*, peccata quæ habent adnexam reservationem absq; censura, nulla sunt iure communi. Episcopi solent nonnulla reseruare, vt blasphemiam publicam, inuocationem dæmonis, abortum, homicidium, incestũ, sodomiam, bestialitatem, & similia, quæ cognoscenda erunt in singulis diocesisibus, in quibus continget Confessarios morari: ab ijs enim neq; nostri Ordinis Sacerdotes possunt hoc



tempore absoluere sine facultate Episcopi in Italia extra urbem. In Religionibus etiam multi solent esse casus superioribus reseruari absque censura, quos cognoscere oportebit eum, qui ad confessiones eorum Religiosorum excipiendas deputatus erit. *Quartum*, peccata quæ habent adnexam reseruationem cum censura, sunt omnia illa, quæ Papæ reseruantur siue in bulla, siue extra bullam Cœnæ: sunt etiã alia nemini reseruata. Religiosi igitur privilegiati Romæ degentes exceptis casibus contentis in bulla Cœnæ, à cæteris omnibus possent absoluere. Extra urbem in Italia sunt etiam quinque casus ex declaratione decreti Clementis VIII. *Primus*, percussio Clerici in casu, quo est Papæ reseruata. *Secundò*, duellum in terminis Gregorij XIII. *Tertio*, violatio immunitatis Ecclesiæ iuxta Bullam Gregor. XIV. *Quarto*, ingressus in monasterium ob malum finem. *Quinto*, simonia realis completa, vel confidentialis. His addendi casus reseruati ab Episcopis, à quibus sine ipsorum licentia non possunt absoluere. Denique etiam seruandum vltimum Decretum S. D. N. Pauli Papæ V. circa casus reseruatos.

*Quarto*, scienda sunt aliqua circa excommunicationes in particulari. Nam confessarius debet saltem confusè scire excommunicationes à quibus potest absoluere, & inde habere intentionem generalem absoluendi ab omnibus à quibus potest. Eas autem, à quibus non potest absoluere, debet scire distinctius. Omnes autem excommunicationes reuocantur ad tres classes. *Prima*, comprehendit eas quæ nemini sunt reseruata. *Secunda* eas, quæ Papæ reseruantur extra Cœnæ Bullam, siue in corpore iuris, siue in Bullis Pontificum. *Tertia* eas, quæ reseruantur in Bulla Cœnæ. Et quidem eas quæ nemini sunt reseruata, sunt omnes numero ad 72. præcipuè autem; & quæ vsui veniunt, ferè 14.

*Prima*, contra occupantes bona, &c. Ecclesiarum vacantium *c. generali de Elect. in 6.*

*Secunda*, compellentes personas Ecclesiasticas, vt submittant bona Ecclesiarum Laicis, *c. 2. de rebus Eccles. non alien. in 6.*

*Tertia*, sepelientes hæreticos, excommunicatos, interdictos in loco sacro. *c. 2. de hæret. in 6. & Clem. 1. de sepult.*

*Quarta,*

*Quarta*, contrahentes in gradibus prohibitis, vel cum monialibus, vel personæ faciæ, aut religiosæ. *Clem. 1. de consang.*

*Quinta*, impediens visitatores Monialium, si admo-  
niti non desistant. *Clem. attendentes de stat. Mon.*

*Sexta*, imprimens, mandantes imprimi, vendentes li-  
bros sine approbatione Superiorum. *Leo X. Bulla 10.*

*Septima*, raptores mulierum, & præbentes illis auxi-  
lium. *Trident. sess. 24. cap. 9. de reform. matrimon.*

*Octava*, cogentes ingredi mulieres in Monasteria; vel  
impediens earum ingressum, vel ne liberè contrahant  
matrimonia. *Trid. sess. 24. cap. 9. de reform. matr. & 25. cap.*  
*18. de regul.*

*Nona*, procurantes abortum fœtus animati. *Sixt. V. in  
bulla. Effrenatum cum moderatione Gregor. XIV. Sedes A-  
postolica.*

*Decima*, pro Ecclesiasticis. Alienantes bona Ecclesia-  
stica, vel ultra triennium hypothecantes. *Extravag. ambi-  
tiosa. de rebus Ecclesiast. non alien.*

*Vndecima*, pro iisdem. Audientes medicinam; aut leges,  
si sint Sacerdotes, vel habentes personatum, &c. *cap. super  
specula. Ne Cleric. vel Mon.*

*Duodecima*, pro personis publicis. Facientes statuta  
contra libertatem Ecclesiasticam. *c. nouerit. de sent. ex-  
commu.*

*Decimatertia*, pro iisdem. Non adiuuantes Episcopos  
in clausura Monialium. *Trident. Sen. 25. c. 25. de regul.*

*Decimaquarta*, pro iisdem Doctores, & Professores  
cuiusque facultatis non facientes professionem fidei in  
manibus Ordinarij. *Pius IV. Bulla 112.*

Quæ verò sunt referatæ Papæ extra Bullam Cœnæ,  
sunt ferè 62. Præcipuæ sunt ferè septem.

*Prima*, Percussores Clericorum, Mandantes, &c. *cap.  
si quis suadente. 17. quæst. 4.*

*Secunda*, Violantes interdictum sedis Apostolicæ. *Ex-  
trav. etsi Dominici. de pœn. & remiss.*

*Tertia*, Simoniaci in Ordine, vel beneficio. Item Simo-  
niaci confidentiales. *Extrav. cum detestabile. de sim. Pius V.  
Intolerabilis 87.*

*Quarta*, Committentes duellum, consulentes, fauro-

res, &c. diffidentes, &c. Pius IV. num. 25. Gregor. XIII. & Clemens. VIII.

*Quinta*, Dantes vel accipientes pro gratia, vel iustitia apud sedem Apostolicam. Greg. XIII. n. 28.

*Sexta*, Mulieres ingredientes monasteria Monialium, vel Monachorum. Gregor. XIII. n. 75.

*Septima*, Extrahentes victualia, vt frumentum, bladi, legumina, & oleum. Paulus V. *Inter grauissimas*.

Denique reseruatae Papae in Bulla Coenae omnes sunt n. 20. quae memoriae causa reduci possunt ad capita quinque.

*Primo*, ad fidem. Vnde excommunicantur omnes haereticus, schismaticus, legentes, &c. vt in prima excommunicatione.

*Secundo*, ad caput Ecclesiae, qui est summus Pontifex, quatenus potest offendi dupliciter. *Prima*, vt Princeps supremus in spiritualibus, & sic excommunicantur appellantes ab eo ad Concilium in secunda. *Secundo*, vt Princeps in temporalibus certae partis Orbis, & sic excommunicantur vsurpantes bona, & iurisdictionem ad ipsum pertinente, vt in vigesima.

*Tertio*, ad Ecclesiam Christianam, quae potest offendi, tum in suis personis & membris, vel per latrocinium maximum, vt in tertia; vel per raptum bonorum naufragatum, vt in quarta; vel per impositionem onerum contra iustitiam, vt in quinta; vel per offensionem Romipetarum, vt in decima; tum in suo principatu, quomodo excommunicantur deferentes arma, &c. ad inimicos Christiani nominis, vt in septima.

*Quarto*, ad Sedem Apostolicam, quae potest offendi *Primo*, quoad personas, quae sunt sub eius protectione, quales sunt deferentes victualia ad Curiam Papae, vt in octaua venientes ad eam pro negotijs, morantes & recedentes, vt in nona; & recurrentes ad illam, vt in duodecima. *Secundo*, quoad suam auctoritatem ver per falsificationem litterarum Apostolicarum, vt in sexta; vt per appellationem a grauamine ad Laicam potestatem, vt in decimatertia, vel per vsurpationem bonorum Ecclesiasticorum, vt in decimaseptima.

*Quinto*, ad Ecclesiasticam Hierarchiam, quae potest offendi; *Primo*, ratione principalium eius membrorum, quales

les sunt Cardinales, Nuncij, Episcopi, alij Prælati, vt in vndecima. *Secundo*, derogando eius auctoritati, vel per cognitionem causarum spiritualium à Laicis, vt in decimaquarta; vel per immunitatem fori, vt in decimaquinta; vel per recursum à iurisdictione Ecclesiastica ad Laicam, vt in decimasexta.

*Tertio*, derogando eius libertati, vel per impositionem onerū personis, & bonis Ecclesiasticis, vt in decima octaua; vel per cognitionē causarum criminaliū pertinentium ad Clericos, vt in decimanona. Atque hæc satis circa cēsuras, & circa scientiam necessariam Sacerdoti tanquam iudici.

## §. 2.

*De scientia, Quatenus est Medicus.*

*Secundo*, principaliter tanquam Medicus duo præcipuè scire debet. *Primum*, regulas communes, quibus excusari potest quis in præcepto, & à peccato mortali, vt est ignorantia probabilis, inaduertentia, impotentia, leuitas materiarum; metus etiam grauis, vt infamiae vel mortis excusae in quibusdam præceptis, præferim, de iure positio humano. *Secundum*, quæ remedia cuique peccato adhibenda sint, quæ cognosci possunt tum ex Polanco in *Direct.* tum ex Costero l. 2. *suarum Christianarum institutionum*. Omnia porro remedia ed rēdere debēt, vt peccatum præteritum curetur, & vt futurum caueatur.

## §. 3.

*De scientia, quatenus confessarius est Doctor.*

*Tertio*, tanquam Doctor quinque præcipuè scire debet: *Primo*, de Sacramentis quid sint, quæ materia, quæ forma, minister, & effectus? *Secundo*, in particulari de pœnitentia & eius partibus, vt cōtritione, confessione, satisfactione, & absolutione multò plura, quàm de reliquis. *Tertio*, de matrimonio impedimenta tum dirimentia, tum non dirimentia. *Quarto*, usuram, & nonnullos contractus, vt emptionem, & venditionem, censum, cambium, societatem. *Quinto*, simoniam propter Ecclesiasticos. Hæc satis de secunda conditione.

CAPVT

## CAPVT III.

## De prudentia necessaria ad Confessiones.

**Q**UO AD tertiam conditionem quæ est prudentia. Hæc posita est, tum erga pœnitentem, tum erga seipsum. Erga pœnitentem debet esse prudens, præcipue in sex.

*Primo* in examine faciendo, vt scilicet roget verissima secundum cuiusque statum, ne doceat simpliciores ignota peccata, ne si ex habitu & professionis statum agnoscit, roget de circumstantijs, vt si sit Virgo, vel Monialis, ne pudeat & fortè mentiatur.

*Secundo* in monendo incauto pœnitente, si pœnitentem declaraturum complicem sine necessitate.

*Tertio* in relinquendo illum in sua bona fide, quando ex manifestatione putat nihil se profuturum, vt in impedimento matrimonij.

*Quarto* in confirmando se opinioni probabili in pœnitentis ipsius pœnitentis, absoluendo illum, si iuxta eiusmodi opinionem absolui potest; non ita si sponte petat ad consilium.

*Quinto* in applicandis medijs accomodatis pœnitenti, quæ ad duo dirigi debent. *Primo*, ad dolorem maximum peccatorum ex parte Dei offensi, summi boni, Optimi, Creatoris, Redemptoris, Benefactoris, &c. *Secundo*, ad propositum non peccandi de cætero, tollendo casus peccati, vt malam societatem, frequentationem talis loci, proponendo periculum mortis repentinae, grauitatem ingratiitudinis in recidiuo, & similia.

*Sexto*, in imponenda salutari pœnitentia, quæ debet esse accommodata peccatis, & pœnitenti, sed magis pœnitenti, declarando quanta deberetur eius peccatis, & cohortando ad maiorem.

Erga seipsum prudens esse debet. *Primo* in exquirendis caute circumstantijs sexti præcepti præparatorijs ad actum consummatum, modis minutis non necessarijs, ne se vel pœnitentem excitet ad aliquam tentationem.

*Secundo*, in vitando mutuo aspectu pœnitentis, præcipue

sertim si puer sit, vel fœmina; & nisi tabula interiecta sit, manus certè cum linteo intercedat.

*Tertio*, in agendo rigidius cū fœminis refocando superfluas narrationes.

In particulari autem quærat quispiam, qua prudentia agendum sit cum recidiuis?

*Respondeo*, & dico *primo*, confessarios non debere esse admodum difficiles in ijs absoluendis, tum quia ut plurimum in ijs non adest nisi remota occasio; tum quia non minus tenetur quisque vitare omnia mortalia, quam singula: & tamen si quis semper in aliquod mortale incidat, facilè solet absolui; tum quia propter hos pœnitentia est quædam Medicina, & alioqui *Matth. 18.* interroganti Petro dictum fuit, *Non septies, sed septuagies septies*, ignoscendum esse fratri peccanti.

*Dico secundo*, Aliquando potest differri absolutio, quando probabiliter dubitaretur de necessario proposito, quando autem adest verus dolor, & efficax propositum semper absolui potest.

*Dico tertio*, Remedia duplicia sunt, quædam iuuant, ne quis reincidat quædam postquam incidit, ne sæpius relabatur. Ante lapsum duo possunt. Primum, oratio aliqua brevis, ut illa: *Deus in adiutorium meum intende*: vel illa, *Cor mundum crea in me Deus*: vel *Fiat Domine cor meum immaculatum*. Solet enim hæc reincidentia maximè contingere in peccatis carnis, ut mollitiæ; fortè enim ex tali oratione Deus miserebitur, & auxilium efficax concedet. *Secundum*, applicatio mentis ad aliquid, quod pœnitentem retrahere possit à peccato, ut consideratio mortis, inferni, paradisi, beneficiorum Dei, &c. iuxta propensionem pœnitentis: aliqui enim magis mouentur pœnis, quam beneficijs. Sic etiam aspectus alicuius imaginis, ut Crucifixi, Christi alligati ad columnam, mortis, vel moribundi, vel denique alterius rei efficacis ad id. Demum admotio alicuius rei, quæ dolorem inferat carni, ut digitus ad candellam accensam, acus ad carnem, & huiusmodi.

Post lapsum autem hæc iuuant. *Primo*, recitatio Psalmi, *Miserere*, flexis vel etiam nudis genibus. *Secundo*, deosculatio terræ, quinquies vel plureis. *Tertio*, ieiunium in sequenti die, vel aquæ potus in sequenti mensa. *Quarto*, Nagel-

Nagel-

Magellum vel gestatio cilicij sequenti hora, vel vespere. Quinto, elemosyna aliqua cara. Denique vt saltem post tertiam vicem redeat ad confessionem.

Dico quarto, hæc remedia omnia, vel eorum aliqua proponenda esse pœnitenti, vt ipse sponte assumat aliquod tanquam necessarium: verè enim ipse tenetur ad aliquod ex ijs assumendum; non tamen imponenda sunt à confessario ex obligatione, nisi habito prius suauiter consensu pœnitentis; alioqui ferè potius obsunt, quam prosint. Hæc de tertia conditione.

CAPVT IV.

De Bonitate requisita ad Confessiones.

QVO AD quartam conditionem, quæ est bonitas. Hæc nõ est necessaria ad valorem Sacramenti, nisi per bonitatem accipiatur ipsa fidelitas, id est, intentio confitendi Sacramentũ, tunc enim esset necessaria etiam ad valorem. Ad rectũ autem modũ illud ministrandi necessaria est aliqua bonitas, id est, dispositio debita, vt nimirum sit in gratia, vel breui confessione, si agnoscat in se culpã mortalem, vel media contritione saltem existimata. Ad hanc autem pertinet solutio trium difficultatum. Prima, an confessarius teneatur admonere pœnitentem de statu, qui est ex se malus, vt si retineat rem alienam, vel habeat impedimentum irritans matrimonium, &c. Pœnitens autem bona fide existimat; vel rem esse suam, vel matrimonium validum esse.

Respondet primo, Si ignorantia esset vincibilis, teneretur admonere secundum omnes. Secundo, si est inuincibilis, nõ debet vnquam mentiri, nec confirmare pœnitentem in suo errore: si item ab eo interrogetur ex aliqua dubitatione, debet respondere secundum veritatem quantum satis est pro interrogatione. Tertio, tacere veritatem potest, quando non adest spes probabilis fructus, aut timetur scandalum vel graue incommodum pœnitentis: correctio enim fraterna non obligat, quando non est spes, vel cum tanto periculo: quando autem speraretur fructus absque scandalo, vel graui incommodo pœnitentis, tunc teneretur ratione officij, quam ratione correctionis fraternel.

Secundum

Handwritten marginal notes in a cursive script, possibly including the word 'Magellum'.

*Secunda difficultas*, an quando adest varietas opinionū; possit ac debeat confessarius sequi opinionem probabilem pœnitentis?

*Respondeo primo*, Quando confessarius iudicat pœnitentem non esse rectè dispositum ad absolutionem, tenetur sub mortali nō absoluere. Cœtra verò, quando agnoscit esse dispositū, non potest illi absolutionē denegare, esto non esset proprius pastor: quamvis enim ille, qui non est proprius antequam pœnitentem audiat, possit non ministrare illi pœnitentiam; attamen postquam audiuit, tenetur, si dignum eum inuenit, absolubere: alioquin iniuriam magnā inferet pœnitenti, obligando illum ad repetendam confessionem eorundem peccatorum.

*Respondeo secundo* Esto sint hac de re opiniones, tamen cōmuniō & probabilior est, posse & debere confessariū sequi opinionem in praxi probabilem ipsiusmet pœnitentis, quia pœnitens eum sequendo non peccat, & est rectè dispositus, & hoc rotum constat confessario: ergo tenetur illum absoluere ex prima responsione. Quod verum est tā de Confessario proprio, quam non proprio: hic enim etiam tenetur absoluere pœnitentem debitè dispositum, vt dictum est.

*Tertia difficultas*, quid teneatur agere confessor, quando malè aliquem absoluit?

*Respondeo*. Duplici de causa potest malè absoluisse. *Primo*, quia inualidè. *Secundo*, quia cum peccato, sed validè. Potuit autem esse inualida, vel quia non habuit intentionem, vel quia non habebat iurisdictionem, vel quia agnoscens pœnitentem culpabiliter non esse dispositum, ipse tamen ob timorem videlicet, vel verecundiam, ne pœnitens offenderetur, illum absoluit. Mala autem & cum peccato esse potuit, vel quia non quasiuit de circumstantia necessaria ex negligentia culpabili, vel quia non obligauit ad restitutionem, vel non admonuit cum posset & deberet, vel quia reliquit in occasione proxima peccandi.

*Dico igitur primo*. Quando nulla fuit absolutio, & pœnitens non propterea incurrit extremam necessitatem, si nō potest eum reuocare, vel non nisi cum scandalo ipsius aut infamia propria, satis est confessarium dolere de culpa commissa, & commendare pœnitentē Deo; quia in sequēte



confessione, quam faciet, absoluetur indirectè, & à peccatis antea confessis, quorum putat bona fide recaspisse se absolutionem. Quando autem pœnitens propterea fieret in extrema necessitate, puto confessarium obligatum iri etiam cum proprio aliquo dedecore & incommodo, cui præferenda esset salus animæ pœnitentis; sed si nulla ratione eum posset reuocare.

*Dico secundo.* Quando fuit tantum cum peccato, regulariter ad nihil aliud tenetur, præterquam ad dolorem de peccato facto: quando autem esset eiusmodi defectus coniunctus cum damno, vel præiudicio tertij, vt quia pœnitens retinebat alienum, tunc teneretur Sacerdos eum reuocare, & admonere, quando positiuè contrarium dixisset, nempe eum non teneri ad restitutionem: quando autem tantum tacuisset, non teneretur. Hæc de quarta conditione.

## CAPVT V.

### De cura in seruando Sigillo Confessionis.

**Q**UO AD quintam, de cura in seruando sigillo, quatuor præcipuè de eo cognoscenda sunt. *Primam*, ex qua confessione oriatur obligatio sigilli, & Dico oriri ex confessione Sacramentali perfecta vel inchoata, facta sacerdoti vero, vel ita existimato. Dixi, *Sacramentalis*; quia ex illa, quæ fieret laico scienter, vel sacerdoti, etiam si ex deuotione, vel humilitate, vt in periculo mortis, non oriretur hæc obligatio. Item ex ea quæ fieret Sacerdoti quidem, sed non animo se accusandi, sed potius animo decipiendi, vel inducendi peccatum, vt ad coniurationem, &c. non oriretur hæc obligatio. Dixi, *perfecta*, vel *inchoata*; quia ex hac etiam oriretur obligatio: talis esset ea quæ fieret Sacerdoti, qui deinde dignoscitur non habere iurisdictionem, vel non animo recipiendi absolutionem, sed tantum se accusandi in illo foro, & satisfaciendi præcepto. Item ea quæ fit superiori, à quo per se vel per

confessa-

confessarium petit pœnitens absolutionem à casu reser-  
uato, & alijs huiusmodi. Dixi, *Sacerdoti* vero, vel ita exi-  
stimato: ad includendam eam confessionem, quæ fieret  
Sacerdoti qui fingeret se sacerdotem, cum tamen reuera  
non esset; verum hoc est dictum probabiliter: ex senten-  
tia enim aliquorum orietur eadem obligatio; ex aliorum  
sententia non esset eadem, quia non adest verum Sacra-  
mentum in ea confessione.

*Secundò* cognoscendum est, quænam sit materia sigilli, &

Dico esse quinque. *Primò* peccata omnia mortalia, & ve-  
nialia in confessione audita. *Secundò*, omnes circumstan-  
tias, & obiecta peccatorum; integrant enim hæc ipsum  
peccatum. *Tertiò*, alia omnia, quæ dicuntur ad declarandū  
peccatum, vel circumstantias ipsius. *Quartò*, ipsa peccata  
publica, quatenus in confessione audita sunt, dicuntur ma-  
teria sigilli: semper enim fieret iniuria Sacramento, quod  
redderetur onerosum, quamuis fortè non fieret pœniten-  
ti. *Quinto*, hæc omnia intelligenda sunt esse materiam si-  
gilli, sed relata ad personam, & peccatorem; ita ut debeant  
seruari sub sigillo, ne detegatur persona, & peccator: alio-  
quin ipsa peccata per se referri possunt, modò fiat cum  
prudencia, ne quoquo pacto possit agnosci pœnitens.

Ex his sequitur non pertinere ad sigillum dicere, talem  
sibi esse confessum, vel habere peccata venialia in genere,  
non exprimendo aliquod in particulari.

*Tertiò*, cognoscendum est, quæ personæ obligentur ad  
hoc sigillum

*Respondeo* obligari quinque personas. *Primò* est confes-  
sarius, ad quem reduco superiorem, quando ab eo petitur  
licentia casus reseruari. *Secundò*, interpres (vel nuncius, si  
fieri possit in absentia) de quo licet sint opiniones, tamen  
probabilius est teneri, quia participat suo modo actum  
clauium. *Tertiò*, consiliarius, quem de licentia pœnitentis  
consultit confessarius, vel præsentem, vel post confessio-  
nem. *Quartò*, est is qui furtiue audit confessionē alterius,  
vel etiam casu, tenetur etiam sub eadem obligatione.  
*Quintò* est is, cui confessor sacrilegus reuelauit peccatum  
alterius auditum in confessione: tenetur enim etiam is sub  
eodem sigillo. Vnde est regula generalis: *Omnis notitia  
habita ex confessione, siue mediata, siue immediata, transit ad*

\*\*\*

quem-

quemcunque sub eodem onere, & manet sub sigillo. Cuius  
pœnitente autem ipso non potest confessarius loqui, nisi  
de eius licentia.

*Quartò*, qua ratione seruandum sit huiusmodi sigil-  
lum?

*Respondeo*, esse seruandum *Primò* tam directè quàm  
indirectè: Vnde non potest confessarius dicere se tabam  
non absoluisse; dicat, Non perfecti officium meum.  
Item non laudet aliquem ex multis. *Secundo*, est seru-  
dum tam verbis, quàm signis aut factis. Vnde Episcopus,  
vel Sacerdos non potest publicè negare Eucharistiam, vel  
matrimonium ex scientia habita solum in confessione.  
Item Sacerdos qui nouit aliquem excommunicatum ex  
confessione, non potest illi negare Eucharistiam, nec et-  
iam priuatim. Potest quidem sub aliquo prætextu: sed si  
aliter effugere non possit, quàm significando notitiam ex  
confessione, potius debet illi conferre Sacramentum,  
quàm non seruare sigillum. *Tertio*, est seruandum in ordi-  
ne ad quamcunque interrogationem, quæ fieri possit, sine  
extra iudicium, siue in iudicio, siue cum iuramento di-  
cendi quæ sciuerit, siue non: nulla enim potest esse iniu-  
dica, & consequenter semper potest Sacerdos aquiuoca-  
re, & respondere iuxta mentem interrogantis, Arque hæc  
satis de conditionibus in confessione requisitis.

## INTERROGATORIUM

Pro confessionibus longioris  
temporis.

**P**RIMÒ interroget tria. I. Tempus vltimæ  
confessionis; & an impleuerit pœnitentiam? II.  
Statum pœnitentis, an coniugatus vel solutus,  
mercator, miles, officialis, &c. III. Dispositio-  
nem, an paratus veniat? Cætera in progressu con-  
fessionis.

DEIN.

DEINDE INTERROGET CIR-  
ca Decem Præcepta hoc  
ordine.

CIRCA PRIMVM

Præceptum,

QVINQVE.

I.

*Circa Fidem.*

An dubitauerit, consenserit, expresse-  
rit signo aliquo propter excommunicationem?

De prouidentia Dei præcipue, animæ immortalitate,  
futura vita.

An sciat necessaria pro rudibus?

II.

*Circa Spem.*

An desperauerit, præsumperit, tentarit Deum, spem  
totam in creatura reponerit?

III.

*Circa Charitatem.*

An odio Deum habuerit ob legem datam, vel poenam  
inferni impositam, mortem, &c.

An animauerit ratione debita, tempore debito, in  
periculo tentationis, vsu Sacramentorum?

IV.

*Circa Religionem.*

An orauerit aliquando, præcipue occasione mortis  
spiritualis vel necessitatis proximi?

An Officium recitauerit, si est Sacerdos, Beneficiarius,  
&c.

An commiserit Sacrilegium in personis, rebus, locis  
sacris?

V.

*Circa vitia opposita Religioni.*

An fidem præstiterit Buiuis, superstitiosis, va-  
nitas obseruantijs?

\*\*\*

An

An ijs vsus fuerit ad malum, vel bonum finem, vbi de maleficio, &c.

*Circa secundum praeceptum.*

T R I A.

*De Blasphemia.*

An blasphemauerit Deum, Beatam Virginem, Sanctos, Creaturas?

Quomodo? an tribuendo Deo quod non habet, vel auferendo quod habet, vel tribuendo creaturae, quod est Dei proprium, vel imprecando Deo aliquod malum, vel nominando membra turpia?

II.

*Iuramento.*

De veritate; an mendacium cum iuramento protulerit? De Iustitia; an promiserit facere quod malum est, vel non facere quod bonum?

De Iudicio; an in discretè, & sine vlla causa ex temeritate iurauerit?

III.

*De Voto.*

Qua de re? an tardus in eo implendo?

An promiserit quod non est bonum? an fregerit, & quoties.

Videat an possit commutare, de pensare, &c.

*Circa Tertium Praeceptum.*

Q V A T V O R.

I. De Missa in festis; an totam, vel notabilem partem, vt tertiam omiserit sine causa, vel cum magna distractione confabulatus sit?

II. De opere seruilij, vel alio prohibito in festis per tempus notabile; an ipse id egerit, vel alijs fuit causa, vt ipsi agerent?

III. De Ieiunio in Quadragesima, Vigilijs, &c. confessione annua, Communionem in Paschate, & solutione decimarum.

IV. De Communicatione cum excommunicato non tolerato; vel an ipse communicatus participarit in diuinis?

*Circa*

Circa Quartum Præceptum.

S B X.

I. De dilectione proximi generali, & de signis communibus erga inimicos, remissione iniuriæ, & pace petita.

II. De beneficentia corporali, ut eleemosyna in necessitate extrema, vel graui, & de superfluis ratione status.

III. De beneficentia spiritali, ut correctione fraterna de peccato mortali, quando est spes emendationis, opportunitas personæ & temporis.

IV. De obligatione filiorum erga parentes. 1. in dilectione etiam externa, subuentione in necessitate, impletione, testamenti & legatorum. 2. in reuerentia, an maderint, percusserint, oprarint mortem? 3. inobedientia in rebus pertinentibus ad gubernationem domus, ad bonos mores, & salutem animæ, & contra.

V. De obligatione parentum erga filios, tum in cura, ut sciant res necessarias; tum quoad mores, permittendo eos malè viuere, vel præbendo malum exemplum.

VI. De obligatione viri respectu vxoris, in non afficiendo iniuria, non percutiendo, non negando debito, &c. & è contra vxoris respectu viri, in obedientia in spectantibus ad bonos mores, & gubernationem familiæ; in redditione debiti modo dicto, & cura, ne suæ morositate & rixis blasphemare, vel maledicere faciat virum.

Circa Quintum Præceptum.

Q V I N Q V E.

I. Si optauit sibi, aut alijs mortem, vulnera, infamiam, graue malū: vel gauisus est de morte patris, fratris ob hæreditatem, vel ex inuidia, odio, &c. si morosè delectatus sit de vindicta, vel doluit de aliorum prosperitate?

II. Si protulit minas, contumelias ex ira, vel conuicia?

III. Si occidit iniuste, mutilauit, vulnerauit, torfit? Mater, si oppressit infantem in lecto, vel fuit causa abortus.

IV. Si ad aliquod supradictorum cooperatus est nouem illis modis, de quibus in versibus:

*Iussio, consilium, consensus, &c.*

\*\*\* 3

V. Si

V. Si fuit aliquo scandalo causa mortis spiritualis, inducendo ad peccatum, vel publicè peccando?

*Circa Sextum Praeceptum.*

S E X.

I. Si habuit turpes cogitationes cum consensu, si morosè delectatus: si verba inhonesta, aspectus, tactus libidinosi intercesserunt, & cum quo, vel cum qua?

II. Si cognouit foeminam, an soluta, virgo, coniugata, consanguinea, sacra: si in vase naturali, an extra vas?

III. Si contra naturam per mollitionem, sodomiam, bestialitatem, impudicitiam, an pollutionem voluntariam passus fuerit in vigilia; & de qua persona cogitavit?

IV. Si infecutus est foeminam diu: an peruenit ad verba, literas, munera, tactus: si ornatu, musica & alijs ob malum finem placendi, & prouocandi ad carnem vitus est?

V. Si lectione librorum impudicorum se prouocauit, optauit ab alijs concupisci; tactauit se de huiusmodi peccatis, &c.

VI. A coniugato, si petiuit debitum cum impedimento affinitatis, cognationis spiritualis, voti, castitatis, periculi abortus, vel effundendi semen extra vas?

*Circa Septimum Praeceptum.*

Q V I N Q U E.

I. De F V R T O in notabili quantitate etiam à proprijs parentibus: de damno illato: an iussus in alia confessione restituit? Hic de bonis naufragantium, & latrocinio maritimo.

II. De F R A V D I B V S in emptione & venditione circa rem, pretium, pondus, mensuram, numerum, si emittem alienam scienter?

III. De V S V R I S in mutuo, in emptione anticipata, vel dilata solutione in cambijs, societatibus, censibus.

IV. De F R A V D I B V S I N L V D O: an cum personis habilibus, inaequalibus quoad artem, inductis importunis precibus, aut minis?

V. De animo furandi aliena, retinendo cum damno domi-

domini, concupiscentia variarum rerum alienarum, de cooperatione modis dictis.

*Circa Octauum Præceptum,*

I. De ieiunijs extra iudicium.

1. Mendacio pernicioso.

2. Detractione, vel mentiendo vel dicendo verum occultum quod infamet, vel ex loquacitate infamando, vel referendo aliorum mala animo infamandi, vel audiendo, & cooperando infamationi.

3. De secreto reuelato absque iusta causa, apertione litterarum alienarum.

4. De susurratione seminando discordias, irrisione animo confundendi.

5. De maledictione animo vt graue malum eueniat, iudicio temerario, & suspitione.

II. De iniurijs in iudicio, ex parte iudicis, accusatoris, rei, testis, aduocati, procuratoris.

*Circa Nonum Præceptum,*

I. De SUPERBIA: an putauit à se habere bona, vel à Deo ex proprijs meritis, vel tribuit quæ non habet, vel alios contempserit in ordinatè?

II. De VANA GLORIA: quando optatur, vel quæritur de re mala, aut malis attribus, aut relata ad malum finem.

III. De INOBEDIENTIA, & ambitione.

IV. De GVLA: an per eam violatum sit præceptum, vellea quæ sita sit cum notabili damno salutis propriæ, vel proximi: vel propter eam debita non soluuntur?

V. Reliqua deducta sunt ad præcepta, vt auaritia ad quartum, luxuria ad sextum, ira, & inuidia ad quintum: accedia communiter non est peccatum mortale, nisi quando ob eam violatur præceptum sub mortali, vel desperat quis peruenire ad vltimum finem.

*Circa Decimum Præceptum,*

Quæri potest in fine,

1. An sciat necessaria, & obligationes propriij status?

2. An quid aliud memoriæ se offerat grauens conscientiam,

\*\*\* 4

3. An



3. An doleat generaliter de offensis in custodia quinque sensuum, trium potentiarum, operum misericordiarum?
4. De ingratitude in reddendis gratijs pro beneficijs, reincidento in peccata. De periculo peccandi, cui sæpè se exposuit: de dubijs, quæ habuit an quid esset peccatum, & tamen operatus est cum illis.
5. Accuset se de omni alia re, in qua Deum offenderit, vel fuisset causa, vt alter offenderet.

## TRACTATUS BREVIS

De modo, quo gerere se debet Sacerdos cum agonizante, seu moribundo.

**A**D moribundum ex præscripto D. Iacobi in *sum. cano.* sub *inim.* induendus est Sacerdos: de quo immeritò queri potest, quomodo in casu tanti momenti se gerere debeat? *Primo*, igitur curare debet in seipso cordis puritatem & innocentiam, per quam in graui necessitate proximi sit Deo gratus mediator.

*Secundo*, sinceram habere intentionem, tantumque dei zelo diuini honoris, & compassionem proximi de vita periclitantis.

*Tertio*, non necitare moras: sed statim ac vocatus est, adire infirmum, ad obuiandum periculo, quod esse potest malè moriendi: quo nullum est formidabilius, cū sit summi mali, idque irreparabiliter.

*Quarto*, colloquia salutaria cum eo miscere, præsertim de Dei erga nos prouidentia, deque dilectione, qua (ex Ioan. c. 3.) ipse sic dilexit mundum, vt filium suum unigenitum daret, vt omnis quis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Atque, si à Medicis didicerit non esse sperandum de ipsius vita, prudenter & suauius in nomine Domini ipsum monere debet: sicut Isaias cap. 38. Ezechiam regem, his verbis: *Hac dicit Dominus: Dispose domus tua, quia tu morieris, & non uives.* Monco igitur, vt testa-